

ORATIO DE STUDIIS DOC-

TRINAE CHRISTIANAE

RECITATA A

Victorino Strigelio,

*IN CELEBRI ACADEMIA LIP-
SICÆ, AN. CHR. M. D. LXIII.
DIE I. MARTII.*



*LIPSIAE, IN OFFICINA
VOEGELIANA.*



Ob. G.H. 3915

QUOD apud Sophoclem Menelaus sortem suam deplorans dixit: Voluitur aſſidua mea fortuna rota, atq; statim permutat veluti Luna faciem, quæ duabus noctibus nunquam retinet unam eandemq; formam, ſed primum nouam induita figuram ex occulto parumper emergit, deinde pedentim crescit, donec plena atq; integra facta rursus ad interitum properat. Si d ego de me ipſo usurpare poſſum, cum aliquot annis tantam varietatem fortunæ expertus ſum, ut crebris cum permutationibus Lunæ non immerito comparari queat. Ac mihi de hac rerum mearum viciſſitudine non ſine ſenu doloris cogitanti in mentem venire ſolet reuerendi & optime de Ecclesia meriti preceptoris D. Philippi Melanchthonis, qui inſpecto themate nativitatis meæ, ex poſitu ſiderum ratiocinabatur fore, ut artibus innumeris oppugnarer non aliter quam lapis æquoreis undiq; pulsus aquis. Neq; vero iam diſputo quantum coniecturis ex configuratione stellarum ſuntis tribuendum ſit, eamq; diſputationem, quæ non eſt huius loci aut temporis, iudicijs eruditorum relinquo. Sed tamen nimis veram fuſſe hanc ſiuē coniecturam ſiuē predictionem ſummi viri, magno cum dolore expertus ſum. Quare ut deinceps non ſolum mihi, ſed etiam vniuersae Ecclesiæ ſenescenti Deus ærumnas mitiget, id gemitu inenarrabili propter filium Mediatorem ab ipſo

peto. *Etsi autem homines multa iudicare solent ex rebus secundis & aduersis, ut seruus veterator & fraudulentus in quadam Plautina fabula inquit:*^{in pscidolo}

Vide
camerar. in Exercit. Centum doctum hominum consilia sola hæc
Educat. pag. 163 déuincit dea

Verba pscidolo. Fortuna, atq; hoc verum est, proinde ut quisq;
sorri ad spectato: fortuna vtitur
res, Actu z. Ita præcellet, atq; exinde sapere eum omnes
Scena 3. dicimus

Cec pro A. Bene ubi quod consilium discimus accidisse, ho-
ne Cui bene qd minem catum
processit, eas Eum esse declaramus, stultum autem illum,
magistrum pscidolo cui vertit male:
dicimus.

Tamen non opinor in hoc laudatissimo cœtu
quenquam asperitate ea esse & immanitate na-
turæ, ut propter miseras, in quibus versatus sum,
grauiter de me suspicetur, & vestra iudicia cum
Demosthenis sapientissima oratione congruere
statuo. Ego vero quisquis homo homini fortunam
tanquam probrum obijcit, insanire eum existimo.
Cum enim & is, qui florentissimam eam habere
arbitratur non sciat an talis ad vesperam mansu-
ra sit, nequaquam decet eam alteri ut crimen ob-
ijcere. Illud etiam vere a Poëta dicitur: Est ali-
quid magnis crimen abesse malis. Non autem
prauo dogmate, aut sceleri aliquo hærente in vita
& moribus mihi calamitatem accersui, sed par-
tim

Inscr. apud inu-

cuviae

tim locorum & temporum incommodis, partim
calumnijs ac sauitia falsorum fratrum in acerbis-
simas calamitates præcipitatus sum, de quibus
non addam plura, ne quid habeat acerbitalis aut
iniunditatis oratio.

Nam ut de vita nihil dicam, cui nullam la-
 bem & maculam virulentæ linguae aspergere po-
 tuerunt, illud certe constat inter omnes, quibus
 cursus meorum studiorum & laborum notus est,
 me toto pectore amplecti corpus doctrinæ, quod in
 his Ecclesijs & Academij Dei beneficio pie in-
 uiolateq; retinetur, nec vñquam discessisse à con-
 sensu expresso in scriptis Propheticis & Aposto-
 licis, in tribus Symbolis, in Augstantia Confessio-
 ne, & in purioribus monumentis pie retustatis,
 & in hac fide Deum invocare. Hæc constans &
 perspicua affueratio, et si aliquibus glorioſa vide-
 ri potest, tamen & vera est, & mihi hoc tempo-
 re ad refutandas calumnias crudelium hypocri-
 tarum necessaria. Quod si ex concursu calamita-
 tum de genere doctrinæ, quod quisq; sonat iudican-
 dum esset, non posset Ecclesia omnium ætatum
 atq; temporum crimen hæreseos effugere, cum ni-
 bil hoc cætu fuerit, sit aut deinceps futurum sit
 ærumnosius. Ego quidem Deo adiutore nec propter
 publica totius Ecclesiæ certamina & pericula,
 nec propter priuatas miseras & difficultates
 vñquam hoc doctrinæ genus, quod amplexus sum,

*quod profiteor, quodq; etiam propagare cupio,
abijciam.*

*Vobis vero initio polliceor studium & diligen-
tiam in omni officio, quod à modesto & tranquillo
hospite expectari potest. Academiæ inclytæ & ce-
leberrimæ autoritatem vera animi reuerentia &
subiectione colam, Professorum benevolentiam
honestis rationibus, quibuscunq; sciam & potero,
tuebor, perficiam etiam, ne amplissimus huius ur-
bis senatus & ciues in me humanitatem deside-
rent. Hæc de meipso breuiter simpliciterq; præfa-
tus sum, quia magis ex fumo lucem, quam ex luce
fumum dare cupio. Nunc quoniam iuuentutis ex-
citandæ caufsa, hæc oratio habetur, dicam de cauf-
sis propter quas studia doctrinæ diuinitus traditæ
colenda sunt, non tantum ab ijs, qui sanctissimum
Euangeliū ministerium in Ecclesia paulo post susti-
nebunt, sed etiam ab omnibus, qui cura salutis
suæ afficiuntur, & in his confusioneibus rerum hu-
manarum necessariam doctrinam & salutarem
consolationem expetunt.*

*Cum autem omnia iuxta Pauli præceptum in
nomine Christi, id est, in vera agnitione filij Dei,
fide & inuocatione facienda, & ad eiusdem Do-
mini gloriam referenda sint, ordiar & ipse hanc
adhortationem à pia gratiarum actione & pre-
catione, nec dubito quin pro vestra pietate similia
uota facturi sitis. Primum igitur tibi omnipotenti,
æterno,*

æterno, viuo & vero Deo, æterno & vnico patri
 Domini nostri Iesu Christi, vna cum filio tuo coæ-
 terno Iesu Christo & spiritu tuo sancto gratias
 ago toto pectore, quod pulsis tenebris Papisticis,
 quæ sunt Cimmerijs tristiores, Ecclesiæ senescenti
 mirandam Euangelij lucem reddidisti, meq; ad
 eius societatem immensa bonitate ante annos vi-
 ginti vocasti, quo tempore in hanc celeberrimam
 Academiam veni, ac in templo quidem puram
 Euangelij doctrinam à Reuerendo patre Domino
 Iohanne Pfeffingero Theologie Doctore, & huius
 Ecclesiæ Pastore vigilissimo, in schola autem
 à Clarissimo viro & Ebraicæ linguae peritissimo
 D. Bernhardo Ziglero piæ memorie didici, &
 interea varijs casibus & periculis iactatum, cle-
 menter ad aliquam, vt spero, Ecclesiæ utilitatem
 seruasti, Deinde te supplex oro vt propter filium
 tuum Dominum nostrum I E S V M C H R I S T V M,
 quem voluisti pro nobis esse victimam nrae mortis
 nrae intermissione semper tibi in his regionibus Ecclesiam
 æternam voce Euangelij colligas & gubernes &
 diu incolumem ac florentem conserues incly-
 tum & Illustrissimum Principem Augustum
 Ducem Saxoniae electorem & Dominum nostrum
 Clementissimum, qui mihi honestum locum in
 vestra Academia clementer tribuit, ac munus
 commendauit re ipsa amplissimum uidelicet expli-
 cationem doctrinæ de Deo & de virtutum officijs.

Rege studia doctrinarum & omnes Professores
vtriusq; Academiæ Lipsicæ et Vitebergensis , quas
tanquam dulces nutriculas amo , & cum obser-
uantia colo,in primisq; diu nobis conserua virū Cla-
riſſimum & de studijs optimarum artium ac de
meipſo præclare meritum , quem honoris cauſa
nomino dominum Ioachimum Camerarium præ-
ceptorem nostrum , Mitiga pœnas publicas &
priuatas propter tuam gloriam , vt te in tota
æternitate celebremus , & tibi gratias agamus.

Nunc igitur ad id quod institui , accedo. Etsi
enim agnosco me suscepto argumento imparem
esse,nec dubito ex hoc ipſo loco ab alijs qui doctri-
nam Ecclesiæ magna cum laude & fructu in hac
Academia auditoribus proposuerunt & adhuc
proponunt , splendide & copioſe omnia exposita
esse , que ad excitanda & acuenda studia pieta-
tis pertinent : tamen officij ratio , quod mihi con-
ſentientibus huius inclytæ Academiæ suffragijs
ab Illuſtrissimo & Optimo Principe electore
commendatum eſt , à me postulat , vt de eodem
argumento dicam non quantum debeo , ſed quan-
tum poſſum , ſic tamen vt mea oratio congruat
ad vocem , quam Deus ipſe Ecclesiæ tradidit.
Sit igitur hoc iam à principio persuasum piæ in-
uentuti , non ſolis Theologis , ut multi putant ,
ſed toti generi humano concionari æternum pa-
trem clamantem de filio , Hic eſt filius meus di-
lectus ,

lectus, quo delector, Hunc audite. Nam huius mandati de audiendo filio tanta severitas est, ut ~~Deus id Moysen ducem chori Prophetici dicat Deuteronomij 18.~~ Qui verba eius, que loquuntur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existam, siue ut Petrus Actorum tertio hunc locum citans & illustrans inquit, Omnis anima, que non audierit Prophetam illum, exterminabitur ex populo Dei. Et ~~Psalmi secundo~~ dicitur, Osculum filii, ne quando irascatur & pereatis in via. ~~Ex his dictis & permultis alijs, que breuitatis caussa omitto, perspicuum est, necessario discendam esse doctrinam Euangelij, & solum illum cætum esse Ecclesiam, qui sine corruptelis retinet scripta Prophetica & Apostolica. Quare cum secta Mahometi reijciat libros Propheticos & Apostolicos, certissimum est hanc sectam non esse Ecclesiam Dei.~~ Etsi autem Papa & haeretici iactitant se esse Ecclesiam Dei retinentem monumenta Prophetarum & Apostolorum, tamen quia affingunt dictis cœlestibus peregrinas opiniones, & defendunt manifesta idola, non sunt membra CHRISTI, sed organa Diaboli. Iam vero satis constat, omnes salvandos oportere membra & ciues esse Ecclesie amplectentis Euangelium, & fundamentum ita retinentis, ne penitus ignoret ullum articulum fidei, aut ne contraria dogmata defendut. Non

enim fulgebit sapientia & iusticia Dei in illis, qui non inchoant eam in hac mortali vita iuxta dictum, Superinduemus si tamen non nudi reperiemur. Non ignoro à quibusdam odiose exagitari vocabulum necessitatis, & à nativa sententia detorqueri ad peregrinam, quasi de coactione loquamur, cum dicimus, Necessario descendam esse doctrinam Euangeliū, & necessario credendum esse promissione Euangeliū. Nos vero de ordinatione Dei eterna, & immutabili loquimur, qua sancitum est, ut voluntati Dei creatura rationalis obtemperet, vel non obtemperans destruatur. Hæc ordinatio immutabilis est mandati & debiti necessitas, sicut Paulus inquit, Debitores sumus Dei, non carnis. Opponamus igitur ignaviæ nostræ mandata audiendo hoc filio, & de assidua lectione sacrorum librorum, & cogitemus horribilem ingratitudinem esse, cum Deus tanta bonitate se paterfecerit, ne quidem audire eum velle. Ut enim violatio aliorum præceptorum displaceat Deo, ita nulla res magis offendit Deum quam contemptus aut neglectio verbi ab ipso traditi per Prophetas, Christum & Apostolos.

Neque vero Deus tantum præcipit hoc studium, sed etiam promittit amplissima præmia omnibus, qui amplectuntur veram doctrinam fidei & bona conscientia, & eam profiteri ac propagare volunt.

volunt. Prima & summa promissio recitatur à Christo Iohan. 14. Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diligit eum, & veniemus ad eum & mansionem apud eum faciemus. Hic cogitet pia mens quid sit diligi à Deo, & quanta res sit esse templum ac domicilium non hominis aut angeli, sed viui & veri Dei, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo iussit, ratione, qua dispositus, virtute, qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum maiestatis suæ, ut Tertulliani utar verbis. Diligere à Deo est recipi ab æterno patre per misericordiam propter filium & donari spiritu sancto, qui est amor & latitia substancialis inter patrem & filium, & fieri hæredem vitæ æternæ. Hæc bona tanta sunt, ut eorum magnitudo nec cogitari, neculla oratione satis exponi posset, & tamen adeo necessaria sunt, ut non habens hæc bona sit aut maneat hostis Dei, & Deum contumelia afficiat. Etsi autem Deus omnibus creaturis adest & earum substancias conseruat: tamen Ecclesiam suam sic discernit ab alijs creaturis, ut proprie faciat eam sibi templum & domicilium, & habitet in singulis sanctis. Præclare ergo Augustinus, Deus, inquit, est ubique per diuinitatis præsentiam. Sed non ubique est per habitationis gratiam,

sed

*sed in solis tantummodo fidelibus. Tunc autem
in nobis fulget, tunc pectora complet, Mens pia
cum discit munera nosse Dei.*

Neminem ego tam dissoluto animo esse arbitror, quin vehementer commoueatur legens vel audiens hanc amplissimam promissionem, qua nihil melius, nihil optabilius cogitari potest. Sed non minus delectatur pia mens, cum audit alteram promissionem, quæ extat Iohann. 15. Si manseritis in me, & verba mea manserint in vobis, quicquid volueritis petetis & fiet vobis. O inenarrabilem bonitatem & misericordiam Dei erga Ecclesiam sonantem Euangeliū vocem, Non solum præcipit ut discamus Euangeliū, sed etiam addit amplissimas promissiones, ut inuitet nos ad studium verbi. Supra affirmauit filius Dei membra Ecclesie esse eos, qui veram doctrinam amplectuntur & amant, non doctrinæ hostes, aut contemtores. Hic affirmsat fideles doctrinæ auditores & custodes non modo domicilium Dei esse, sed etiam à Deo exaudiri, & defendi in periculis, quæ noctes & dies nos vndeque circumstant. Ac sàpe mihi de hac dulcissima promissione cogitanti, venit in mentem eius nauis in qua Paulus vehitur ex Iudea in Insulam vicinam Siciliæ Meliten, quæ pene adhuc antiquum nomen retinet, vnde appellatos volunt carulos Meliteos. Eam nunc Hierosolymitanæ religionis

ligionis equites Rhodo pulsi muniunt, & sedem reliquarum suarum fortunarum fecerunt. Ut enim nauis Paulum vehens ex magna iactatione portum optatum vedit: Sic Ecclesia sonans & retinens incorruptam Pauli doctrinam mirandis modis, quos non potest humana ratio prospicere, a Deo conseruatur. Hanc imaginem perpetuo nobiscum in mentibus circumferamus, & saepe intueamur, nosq; eius consideratione in his tumultibus & confusione Reip. sustentemus. Quemadmodum autem hæc unica nauis seruat omnes, qui in ea vehuntur integra: ita doctrinæ hostes aut contemtores, non possunt inuocare Deum, nec dextera Dei proteguntur iuxta tristissimam comminationem Proverbiorum primo, Ubi sapientia clamitans in plateis i. verbum Dei sonans in toto genere humano, accusat omnes negligentes & contemnentes vocem diuinam, & denunciat eis pœnas, inter quas hæc extrema tristissima est, Tunc inuocabunt & NON AVDIAM. Hoc fulmine si quis non mouetur, durior est scopulis & saxis rupis Sinai, quæ tremuerunt cum ederet Deus decalogum.

Sed redeo ad promissiones, quarum aliæ præmia doctoribus & discipulis Euangeliū in hac vita, aliæ præmia post hanc vitam pollicentur. De præmijs in hac vita Psalmo primo dicitur, Omnia quæcunq; faciet prosperos habebunt successus.

Nam

Nam Deus in hac vita sine vlla dubitatione compensat & ornat studium Euangeli magnis bonis, maiore luce & sapientia spirituali, robore fidei, consilio, consolatione, successu in gubernatione publica & domestica, pace, victu. Hæc bona omnia complectitur Psalmus comparans studiosum Euangeli palmæ florenti, ac gignenti glandes odoratas, quibus non tantum inter mensas secundas primus honos habetur, sed etiam à Medicis inter salutaria remedia locus attributus est. Nicitur etiam in pondus palma, & consurgit in altum, Quoq; magis premitur, hoc mage tollit ónus. Ita pius confirmatus verbo Dei non cedit contrarijs ventis, hoc est, impijs illecebris & terriculamentis, sed quadam excelsa constantia hostium machinationes & irritos conatus despicit. De præmis vero æternis Daniel dulcissime concionatur in extrema parte sui vaticinij: Doctores fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iusticiam multos erudiunt, sicut stellæ in perpetua æternitate. Non cœli puritas, non stellarum fulgor, non solis claritas vincet hanc lucem, quam Deus doctoribus & discipulis Euangeli communicabit, cum erit omnia in omnibus. Sed nimis frigent pectora nostra in rebus tantis cogitandis. Excitati igitur tot præceptis & promissionibus corrigamus hanc imbecillitatem & stuporem, & à Deo petamus, ut spiritus

ritu suo sancto ardente verbi amorem in nobis accendat.

Postquam autem bona mentes didicerunt præcipi mandato diuino, ut sermo Christi habitet inter nos abunde, & hoc studium non tantum placere Deo, sed etiam habiturum ingentia præmia, sciant præcipuum caussam esse propter quam doctrinam & ministerium oportet audiri & conseruari, quia sic Deus colligit Ecclesiam & non aliter, scilicet voce & cogitatione scripti Euangelij, cum auditur aut legitur, ut Rom. 10. dicitur: Quomodo credent sine prædicante? Fides ex auditu est. Et Ioh. 17. Christus inquit: Pater sanctifica eos in veritate, serm tuus est veritas. Quemadmodum enim fœtus in alio materna alligatus est panniculo, qui Græce nominatur χειρ, latinis secunda, vulgo secundina, ^{Siloh, Hebrew} ita Ecclesia alligata est ad verbum, in quo Deus ^{græce Xopios} voluntatem suam patefecit. Ac ut fœtus in tempestiis motib. rumpens hanc fasciolam, fit extreuma, id est, rudis & informis massa abortus edita: sic cū illuminationes & Enthusiasmi relicto verbo queruntur, incident homines in hec tria mala, quorum primū est amissio certæ doctrinae, alterū amissio firme consolationis, tertiu extinctio fidei. ^{Enthusiasmi}

Primum enim amittitur certa doctrina, quia cum mens non regitur verbo scripto, homines fanatici fingunt opiniones & cultus contra legem & articulos fidei, ut ostendunt furores, ^{Ethnici}

Ethnici & heretici omnium temporum, quorum tanta turpitudo est, ut eam fugiat & reformidet oratio. Deinde cum corda in veris doloribus non sustentantur scripta promissione, paulatim merguntur in Epicureum contemtum Dei, aut desperatione opprimuntur. Has tempestates Esaias tanquam gubernator in specula prospiciens cap. 8. inquit, Ad legem & ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta hos verbum, non erit eis lux matutina, sed vagabuntur in terra duri-ter percussi & fame laborantes, cumq; esurierint & irarum ardorem conceperint, maledicent regi suo & Deo suo, & sine suspiciant in cœlum, siue referant oculos ad terram, ecce angustia & tenebræ. Nam defatigati sunt in angustia, & errant in tenebris. Postremo hi qui querunt afflatus, neq; sciunt, neque discunt quid sit fides, quia non sustentant se cogitatione scripti verbi, cum dictum sit, Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei. Quid est autem tristius, quam vagari inter tela Diabolorum sine certa doctrina, sine consolatione & sine exercitijs fidei & invocationis? Rursus, quod præsidium maius est aduersus Diaboli Sophisticam & Tyrannidem, quam munitum esse vera agnitione & invocatione Dei, firma & salutari consolatione & norma vitæ, quæ bona in solo verbo monstrantur. Etsi enim Philosophia elegans & utilis sapientia est, tamen non deducit nos ad

Deum

Deum patefactum missione filij & donatione spiritus sancti, nec vulneribus naturae nostrae efficacia remedia adhibet, nec praecipuos cultus Dei monstrat. Lex vero domini immaculata est, recreans animas, testimonium Domini fideles, sapientiam præstans parvulis, Mandata Domini recta sunt, laxificantia cor, præceptum domini Lucidum, illuminans oculos. Hæc diligentissime consideranda sunt, ut inuitentur bonæ mentes ad amorem & studium lectionis, de qua Paulus, inquit: Sic assiduus in lectione, doctrina & consolatione. Nam filius DEI, ut dixi, non aliter colligit Ecclesiam, nec aliter vult esse efficax nisi cogitatione verbi scripti. Quid quod hic ipse Dominus deos μὲν νοέμενος τὴν τὰν τρεπασίων ἐνεγκάρια, αὐθεωπὸς δὲ δεινύμενος τὴν τῆς φύσεως ὁμοιπαθεία, Ut ait Iustinus Martyr & Philosophus, in lucta quadraginta dierum, exemplo suo nos docuit, quanta sit vis verbi in magna vi tempestatum & concursu calamitatum. Cum enim vndiq; acerrime ab hoste Dei & Ecclesiae oppugnaretur, non armis aut machinis aeneis usus est, sed verbo aliquoties citato ex libro quinto Moysi, qui Deuteronomium inscribitur, insidiatorem fregit ac debilitauit.

Ad hanc præcipuam caussam illa quoq; adiungatur, quod in casu confessionis non soli Theologi, sed omnes Christiani obligati sunt ad reddendam

dam fidei suæ rationem , iuxta Petri præceptum ,
 Parati estote ad reddendam rationem vestræ spei
 cum mansuetudine & timore . Nemo autem
 sine cognitione veræ doctrinæ & sine iudicijs ve-
 ræ Ecclesiæ ad hanc Apologiam potest acce-
 dere . Ut igitur sapiens Respublica in pace de bel-
 lo cogitat , seque ad id fortiter ac feliciter ge-
 rendum omni cura & cogitatione præparat : ita
 in tranquillitate , vt verbis Augustini utar ,
 comprehendenda est doctrina sapientiæ , quæ in-
 ter tribulationum turbines difficulter agnoscitur . ~~Non enim facile inueniuntur in aduer-~~
~~sitate presidia , que non fuerint in pace que-~~
~~sita . Moueantur pijs horum temporum peri-~~
~~culis , vt diligentiorem cogitationem de hac~~
~~cauſa fusciant . Si quis enim aurea sæcula in~~
~~bac mundi senecta sperat , is mibi non di-~~
~~ſimilis videtur pifcatori , qui apud Theocri-~~
~~tum irani imagine aurei pifcis delectatur~~
~~Magna moles certaminum & periculorum in~~
~~Ecclesiam ſenefcentem impendet , non ſolum~~
~~quia peccatis crescentibus pœna iuſtissimo or-~~
~~dine crescunt , ſed etiam quia maior nunc ra-~~
~~bies eft in Diabolis metuentibus terrible iu-~~
~~dicium , quod paulo poſt exercebit filius Ho-~~
~~MINIS , qui ſub iudice ſtetit , vt videant~~
~~impij eius gloriam , in cuius mansuetudinem~~
~~fremue-~~

fremuerunt. Et vox diuina prædicta in hac languida & delira mundi senecta fore maiores confusiones opinionum, cultuum & morum quam antea. Hac igitur prædictione & tristissimis spectaculis vicinorum regnum velut è somno excitati, assidue versemur in letetione librorum diuinorum propter gloriam D E I, & ut ipsi necessariam consolationem in tam sauis tempestatibus habeamus. Imo ut aliqui explicatione & propugnatione vera doctrinæ utiliter Ecclesie seruire, & præclarum depositum videlicet puritatem Euangeli ad posteros transmittere possint. Quid, quod non tantum in hac vita saepe cum periculo vita, fame & fortunarum confessio edenda est, sed etiam in prostrema mundi die fidei & operum ratio nobis reddenda erit, ut grauißime & verißime à TERTULLIANO in libro de præscriptionibus aduersus hereticos dictum est: A veritate dimittere nemini expedit, qui meminerit futuri iudicij, quo omnes nos necesse est apud CHRISTI tribunal astare reddentes rationem in primis ipsius FIDEI. In hoc dicto insigni maximeque memorabili particula vniuersalis & expressa mentio fidei præcipua quadam diligentia obseruentur. Non ait solos Theologiae

B a

profes.



Professores & Pastores Ecclesiarum subituros
 esse post mortem illud terrible iudicium, sed omnes
 homines sine exceptione, ut 2. Corinth. 5. Paulus
 clamat, Oportet nos omnes stare coram tribuna-
 li Iesu Christi, ut unusquisq; recipiat in corpore,
 quod fecit siue bonum siue malum. Deinde expre-
 jam mentionem facit fidei, ut nos doceat mili-
 tiam Christianam consistere in fide & bona con-
 scientia, & à Deo damnari non modo lapsus
 contra conscientiam, sed etiam ~~errores cum fun-~~
~~damento, seu cum lege & articulis fidei pugnan-~~
~~tes, siue homo sciens siue ignorans eis assentiatur.~~
 Nam inter peccata mortalia seu regnantia, quæ
 Paulus nominat opera carnis, non tantum adul-
teria, cædes & furta, sed etiam hæreses & idola
recensentur. Eum igitur cursum in hac vita, sin-
guli pīj teneant, ut fugiant vtrunc; scopulum,
er-
rores dico contrarios legi & Euangelio, & pec-
cata contra conscientiam, & ad illud iudicium
initia sapientiae & iustitiae æternæ afferant. Nam
prorsus necessarium est in hac mortali vita in-
choari sapientiam & iustitiam æternam, sicut
scriptum est, superinduenimur si tamen non nudi
reperiemur. Et filius Dei ante postremum ago-
nem hanc descriptionem vite æternæ tradit: Hæc
est vita eterna, ut agnoscant te solum esse verum
Deum, & quem misisti Iesum esse C H R I S T U M.
Ad hanc vero cœlestem Academiam, in qua vi-
debimus

*Error in
fundamentis*

debimus filium Dei, Patres, Prophetas & Apostolos, & eorum fruemur doctrina & familiaritate, nemini patet aditus, nisi prius in hac mortali vita eius doctrinæ elementa didicerimus, quam ipse nobis tradidit.

Conferamus etiam si placet verbi diuinitus traditi possessionem cum alijs bonis, quæ humana infirmitas præcipue expetit. Queruntur à maxima multitudine generis humani non conuersa ad Deum honores, voluptates, earumq; instrumenta. Sed hec aut deserunt nos ante migrationem ex ~~Bona corpora~~
~~hac vita~~, aut à nobis deseruntur. Nam honor ~~patria~~
~~quidem vanus est, quia aut simulatus est, cum~~
~~omnes homines natura superbi & inuidi sint,~~
~~aut non est diuturnus, ut ostendunt exempla Mil-~~
~~tiadis, Aristidis, Themistoclis, Cimonis, Camilli,~~
~~Bellisarij, & aliorum innumerabilium, quibus in-~~
~~grata patria anguinam mercedem rependit. Vol-~~
~~uptates vero quamuis concessæ nec locorum sunt,~~
~~omnium, nec temporum, ut Cicero ad Atticum~~
~~scribens inquit tantis malis yrgeri Rempublicam,~~
~~& tam grauia pericula optimo cuiq; impendere,~~
~~ut penitus sibi ex animo & nille & huiuscmodi~~
~~delectationes exciderint. Et Ulysses Iliados nono~~
~~ad Achillem inquit, Λλ' ἀδαρτὸς ἵπνεάτον ἴγρα μέ-~~
~~μηλεν. Nec sunt nobis conuinia cura vlla satis.~~
~~Nam honeste & concessæ voluptates tranquillum~~
~~tempus requirunt. Quid tam porro incertum est~~

quam opulentia, ut in versu peruulgato dicitur,
Irus & est subito, qui modo Cræsus erat.

At verbum nullo loco aut tempore sui studiosos deserit, sed in rebus secundis & aduersis semper nos docet, consolatur, regit consilio, confirmat contra illecebras & terriculamenta, denique amissis omnibus bonis, sicut tandem ea in morte amitti necesse est, nobis presto est, & aditum ad eam vitam patefacit, quæ est sola vita nominanda. Nam hæc vita sine verbo quid aliud est quam ~~carcer~~ & magna miseria? Quamobrem cum Maria eligamus optimam partem, quæ nullo unquam tempore à nobis auferetur, & quæramus bonas margaritas, easq; inuentas diligenter asseruemus.

Et quoniam margaritarum mentio facta est, repetam eorum generationem, de qua nos ipsum tempus admonet, ex Theophrasto, & hanc narrationem ad imaginem verbi & Ecclesiæ breuiter accommodabo: Initio veris sua quadam natura mirabili siti conchæ appetunt rorem cœlestem. Hunc cum in littus repentes & hiantes hauserunt, nascitur ex eo rore & conchæ carne, cuius odor optimus est, gemma pellucida alias aurei, alias argentei coloris, & mirificam vim habens in pellendis venenis, & medicatione cordis humani. Fit autem generosior cum crebræ sunt magnæ tempestates, nec

nec conchæ sunt grauidæ. In hac narratione dulcissima imago verbi & Ecclesiæ proponitur. Ut enim concha sitiens appetit rorem, & hoc hausto concipit gemmam cordibus salutarem : sic Ecclesia cum in veris doloribus vnde quærerit consolationes, & re ipsa experitur se non iuuari humanis cogitationibus, tandem decurrentis ad vocem Euangeliū tanquam ad rorem cœlestem incipit acquiescere, sicut in Psalmo dicitur, Eloquium tuum iuuificauit me. Deinde ut hæc gemma agitata fluctibus & procellis fit generosior: ita lux fidei inter certamina crescit. Sed hæc allegoria suo loco vberius explicari solet.

Hactenus monstravi præcipuas caussas, propter quas verbum Dei assidue legendum, audiendum & cogitandum est, nec dubito bonas mentes earum consideratione permoueri.

Antequam vero finem dicendi facio, bruciiter confutanda videtur opinio, quæ multos à studio & amore verbi non sine iactura gloriæ Dei & sine periculo animarum abducit. Multi enim non admoniti hac persuasione fascinati sunt, ut existiment studium verbi tantum ad eos pertinere, qui paulo post ad gubernationē Ecclesiæ accessuri sunt, nec Philosophiæ, artis Medicæ & ciuilis Scientiæ studiosis valde necessariam esse cognitionem doctrinæ monumentis diuinis comprehensæ. Hic error animis eripiendus est, et pia iuuentus admonenda est,

*vt cogitet Academias Christianas non esse scho-
las Arcessilæ, sed reliquorum studiorum guberna-
tricem & vt ita dicam Architectonicam esse
doctrinam Propheticam & Apostolicam.*

*Nam maxime dignum est homine Philosopho
querere veram de Deo doctrinam, vt Plato in
sexta Epistola grauiter dixit: Ita recte philosophabimur si Deum agnoscemus vniuersæ naturæ
patrem, causam & gubernatorem esse, eiq; iuste
viuendo obtemperabimus. Hæc vna est non
æuso disciplina & vera Philosophia. Non igitur
fastidiani studiosi Philosophiae doctrinam Ec-
clesiæ, quam ipsa collatio ostendit perfectiorem
esse, sed ad culturam litterarum & humanitatis
adiungant veram Dei reuerentiam, & Philoso-
phiam illorum maxime detestentnr, qui putant
eo se plus videre ceteris, quod vel contemnere
religiones audent, vel de omnibus sententijs Pyr-
rhone more in vtranq; partem disputare solent.
Quid dicam de arte Medica, quæ bonis ingenij
hortatrix est, ad agnoscendum Deum & ad co-
gitationem de religione. Nemo enim vestigia Dei
impressa naturæ aut plura aut illustriora videt
quam Medici.*

*Nam omnia in fabricatione humani corporis
plena sunt artis, consilij & significationum. De-
inde artificiosa distributio remediorum, testatur
conditorem amantem esse hominum, quia res tam
multe*

multæ præcipue ad humanos v̄sus factæ sunt. Et enim alia remedia bilem, alia pituitam trahunt, aliæ herbæ opitulantur cerebro, aliæ cordi, aliæ pulmoni, quædam pectori, nonnullæ Epati. Nulla deniq; plantula, quanquam spreta temere nascitur, Nulla non ad certos & magnos v̄sus diuino consilio ordinata est. Et quia in tanta varietate morborum Medici spectatores sunt multarum ærumnarum, fieri non potest, quin caussas querant, vnde tot non solum morbis, sed etiam maioribus calamitatibus obnoxia sit hæc præstans & infirma natura. In hac consideratione de peccati origine, magnitudine & pœnis admonentur.

Quid præterea potest esse tam apertum tamq; perspicuum, quam politicam sapientiam cum à Deo deseritur, nec felicem nec salutarem esse. Magna vis ingenij fuit in gubernatoribus Atticis, Pericle, Alcibiade, Demosthene & Demade, & magnos labores hi viri sustinuerunt. Sed quid sunt omnes ipsorum res gestæ à principio vsqne ad finem, nisi contentiones exitiales ipsis & patriæ. Hæc magna & ineffabilis miseria est frangi & consumi tantum pernitiosis laboribus. Talium exempla intuentes expauescamus, & ardentissimis votis Deum oremus, vt faciat nos vasa misericordiæ, & organa salutaria Ecclesiæ, patriæ & nobisipsis. At Ioseph, Moyses, David, Daniel, Esdras, Nehemias res magnas & salutares gesserunt,

runt, quia à Deo gubernationem petiuerunt, & hanc normam in suis politijs secuti sunt, de qua in Psalmo dicitur, Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis. Ac ne quis eorum, qui olim ad Remp. accessiūri sunt, dubitet de voluntate Dei postulantis studium verbi à viris politicis, is memoria repetat expressum mandatum, Deut. 17. quod præcipit, ut rex discat legem, & eam sequatur in tota gubernatione. Hæc enim sunt verba Moysi: Postquam federit in folio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplum à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Huic præcepto, ut alia exempla omittam, obtemperans laudaciuſ tam ſcribitiſſimus Princeps Alphonſus rex Hispānicus & puerat ap. Neapōlitaniſ perlegit integra Biblia quater & nō, noſtralij decies. Ut enim Iulius Cæſar media inter prælia ſemper Stellarum cæliq; plagiſ ſuperiſq; vacauit, ita hic princeps inter arma, tubas & claſſica nunquam de manib⁹ ſcripta Prophetica & Apostolica poſuit. Laudatur à Cicerone Scipio Afri- canus, qui libros Xenophontis de Cyri institutione, in quibus nullum officium prætermiſſum eſt diligentiſ & moderati imperij, etiam in caſtris legere ſolebat. Sed plus vera laudis habet hæc aſſidua te-
Etio

~~etio librorum diuinorum, qui non sine causa for-~~
~~tes Israel sanctissimi & augustissimi nominan-~~
~~tur. Quod si quem sapientiae iuris deditum aut~~
~~præceptum diuinum, quod non est vni politiae tra-~~
~~ditum, sed cum sit naturale ad omnes politias~~
~~pertinet, aut exemplum laudissimi Principis~~
~~Alphonsi parum mouet, is tamen consideret~~
~~præsentem formam religionis & Reipublicæ, ad~~
~~quam nemo sine cognitione doctrinæ Christianæ~~
~~satis ornatus potest accedere.~~

Quemadmodum enim tranquillo mari quili-
bet nautarum vectorumq; gubernare potest, vbi
autem sœua orta tempestas est, ac turbato mari
rapitur vento nauis, tum viro & gubernatore
opus est, ut apud Linium Fabius ait: Ita in
hoc perturbato statu religionis & Reipublicæ
non tantum politica prudentia opus est ijs, quæ
consilium Regibus & Principibus daturi sunt,
sed etiam hac cœlesti & diuina sapientia, quæ
non properat ad pœnam ante legitimam cognitio-
nem, sed re diu multumq; agitata decernit quid
sequendum aut fugiendum sit.

Hæc fretus intelligentia vestra coniuncta cum
pari benevolentia differeo breuius, quam causa
desiderat, vosq; reuerenter & amanter oro, vt
pro excellenti humanitate uestra orationem multo
tenuiorem quam vt argumenti magnitudini re-
spondeat, boni consulatis.

*Ut autem exitus orationis cum principio con-
gruat, eternum Deum patrem Domini & Sal-
uatoris nostri I E S V C H R I S T I toto pectore oro,
ut necessariae doctrinæ studia & eorum hospicia
perpetuo conseruet ac tueatur. Eundem etiam
inuoco ad gratiam Magnificentie, Excellentie &
Humanitati vestrae pro me referandam, quoniam
mihi nequaquam satis facultatis est pro meo ani-
mo atq; uestro erga me merito, cumq; similia
officia reddere non possum, acceptorum
tamen à vobis constantissimam
Deo adiutore memoriam
conseruabo. Dixi.*



Soli D E O gloria



08.6.11.3915



